



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Modus discernendi apparitiones spirituum, vtrum boni sint an mali: cum remediis & Exorcismis contra spiritus malos infestantes domos vel alia loca.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

Modus discernendi APPARITIONES
SPIRITVVM, vtrum boni sint an
mali: cum remediis & Exorcismis
contra spiritus malos infestantes do-
mos vel alia loca.

ETSI donum discernendi spiritus non
sit omnium, sed peculiari gratia quibus-
dam concedatur, & negari non debeat,
quin honorum hominum spiritus sin-
gulari dispensatione Dei redire possint, & ali-
quando redeant, teste Scriptura, quæ refert Samue-
lem apparuisse Sauli, teste item D. Gregorio in
Dialogis; licet etiam de Angelorum apparitioni-
bus multa in Scripturis habeantur: tamen cum eis
malignorum spirituum fraudes optimè sint notæ,
& probè sciant, quantum nobis ab eorum insidiis
periculi sit, nihil offenduntur boni spiritus, si cau-
tissimè nobis prospiciamus, & omnem insolitam
apparitionem suspectã habeamus, ac proinde sic-
ubi spiritum tumultuantem aut cientem terribi-
les strepitus audierimus, aduersus eum tamquam
demonem armemur, tantisper donec aliud certis-
simis documentis deprehendatur. Et in hunc usum
accommodari possunt quæ de spirituum immun-
dorum discretione disserit S. Antoninus apud
Athanasium in Vita ipsius, potissimum à cap. 18.
quod sic inchoatur: Nunc iam ceteras vobis
dæmonum explicabo fallacias, &c.

In

In gratiam tamen eorum qui fortè carent libris necessariis, ex quibus hæc discere possent, subiunguntur hic aliquot regule, quibus discerni facile poterunt apparitiones bonorum & malorum spirituum.

Indicia mali spiritus sunt:

Primò, si ad præsentiam vel usum rerum sacrarum diffugiat, nimirum signi Crucis, Aquæ benedictæ, nominis IESV, B. Virginis, aut alicuius Sancti, sacrarum Reliquiarum, Agni Dei, cerei benedicti, stola sacræ, & similium quibus Ecclesia uti consuevit contra diabolicas fraudes. Item si hæc improbet aut dissuadeat.

Secundò, si falsam vel prauam suæ apparitioni prætendat causam.

Tertiò, si aliqua dicat contra Fidem & Ecclesiæ doctrinam, vel suadeat aliquid quod sit à moribus Sanctorum alienum.

Quartò, si excitet mentem hominis ad superbiam, ad vanam gloriam, ad præsumptionem animi, ad desperationem, vel ad alium minus ordinatum effectum.

Quintò, si rem non patitur tractari cum superiore, vel Confessario.

Sextò, si in forma tetra aut abiecta appareat, vel cum factore, tumultu, horrore, clade discedat.

Septimò, si ubi semel præstitum est quod subsidij causa petiit, rursus quaesitis aliis occasionibus friuolis redeat: anima enim, ubi satis feceris, vel non redeunt, vel semel tantum ut gratias agant.

Octauò, si blandè accedat, sed postea relinquat

maero-

merorem, desolationem, turbationem animi, tenebras mentis: boni enim spiritus est illuminare, solari, & tranquillitatem animi adferre. Quod signum etiam habet locum, & obseruandum, quando non statim se spiritus prodit, vel dicit quid cupiat. Huiusmodi tamen ordinariè pro malignis haberi possunt, qui non statim indicant quid velint; præsertim si turbent domum, aliq̄, faciant que tendunt ad nocendum hominibus. Animæ redeuntes & boni spiritus non volunt aut intendunt hominibus nocumentum vel perturbationes inferre.

Aduertant tamen sedulò curam animarum gerentes ad fallacias & technas demonum, quomodo se soleant teste Apostolo transformare in Angelos lucis: proinde etiam si initio se prodant, ut spiritus boni solent, inquirent de secunda, tertia, & sequentibus apparitionibus, & facile deprehendent fraudem; non enim diu possunt lupi se tegere sub ouina pelle.

Si autem post diligentem indagationem apparitio maneat dubia an sit à bono an à malo spiritu, adhibeant remedia & Exorcismos Ecclesiæ, eosq̄ per preces cogant ad se manifestandos.

EXORCISMVS domus à malis spiritibus vexatæ.

Sacerdos indutus superpelliceo & stola, dicit:
In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti. Amen. Deinde flexis genibus
Hym-